

CHRISTI ubique fit præfens, ac quotidie sub omni pane & cibo spiritualiter edi debeat, imo, jam in ore fit, antequam edatur: quoniam spiritualis manducatio repletive omnipræsens corporis CHRISTI, propter unionem personalem, non tollit sacramentalem manducationem, quæ ore corporis fieri debet saltem frequentius, 1. Cor. XI, 24. 25.  $\alpha$ ) Corpus CHRISTI in hostia præfens & unitum cum eadem, in usu sacramenti, non est adorandum, sed edendum, Matth. XXVI, 26. Extra usum cessat unio rei cœlestis & terrestris, ac consequenter non est Sacramentum, ideoque multo minus ipsa hostia adoranda est, contra mandatum DEI, Matth. IV, 10.

Pag. m. 147. Aphorismus 7.

**I**n cœna Domini adhibendus est panis verus, alimentalis & cibarius, non oblatae, ut vocantur, aut nebulæ panis.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Verus quidem debet esse panis; nihil autem refert, an magnus sit, vel parvus, rotundus, vel oblongus, fermentatus, vel azymus, i. e. oblatae, quæ ex aqua & farina subactæ sunt, ideoque non nebulæ panis, sed verus panis, qualem adhibuit CHRISTVS, Matth. XXVI, 26. Deinde Ecclesia Apostolica, 1 Cor. X, 16. usque in hodiernum diem.

2. Scriptura testatur, quod debeat esse vera analogia, inter panem & corpus CHRISTI, (ut, sicut ille nutrit corpus, ita hoc nutriat animam) 1. Cor. X, 17. hac etiam hæ hostiæ non carent: nam  $\alpha$ ) non carent materia panis veri, farina nempe & aqua.  $\beta$ ) Nec quantitate, quæ magna vel parva esse potest.  $\gamma$ ) Nec odore & sapore, grato homini, sibi pertinaciter non placenti, aut simillimo populo judaico, fastidienti Man, Num. XI, 6.

3. Licet oblatae non habeant formam panis cibarii, cum dispositionibus ejus careant; habent tamen veri panis materiam, quam forma rotunda non tollit. Sic Man cadebat de cœlo in deserto rotundum & parvum, quod populus deinceps colligebat, molebat molis, contundebat in mortario, coquebat in cacabo, & faciebat